

datur facultas nominandi studentes Pretinenses, sic et isti nominabunt Lipsenses et locum congruum pro prefatis libris reponendis adaptabunt, aut ad testudinem super sacristiam ecclesie sancti Nicolai deponent sub clausura cum adaptatione clavium ut supra. Et ut singula recte agentur, superintendendam habere debent universitas Lipsensis et consulatus oppidi eiusdem, dominus preceptor de Lichtenberg et plebanus de beate Marie virginis in Pretin pro tempore existentes cum prefatis testamentariis meis et aliis quos ipsi ad hoc factum sollicitandum et ad vigilandum deputabunt, ut voluntas mea ultima in prefato testamento expressa adimpleatur et in nullo invalidetur. Acta sunt hec anno, indictione, mense, pontificatu, locis et hora quibus supra, presentibus ibidem discretis viris et studiosis, Dominico Keiser artium baccalaureo et Iacob Schobel de Leipzig, clericis 10 Merseburgensis dioecesis, nec non Martino Klein laico de Strasberg Culminensis dioecesis ad premissa vocatis, rogatis pariterque requisitis 2c.

Et ego Gerhardus Plekenpol de Wentersnigk clericus Monasteriensis dioecesis, sacra imperiali autoritate notarius publicus, quia huiusmodi testamenti lectionem, assignationem, discretionem, ordinationem et presentationem 15 et publicationem omnibus aliis et singulis premissis dum sic ut premittitur fierent et agerentur, una cum prenominatis testibus presens fui, eaque sic fieri vidi et audiui, ideoque presens publicum instrumentum manu mea propria conscriptum exinde confeci et in hanc publicam formam redegi, signoque nomine et cognomine solitis et consuetis signavi in fidem et testimonium omnium et 20 singulorum premissorum vocatus, rogatus pariterque requisitus.

122.

Erzbischof Diether von Mainz fordert die Universität auf, zu der Michaelis in Mainz stattfindenden Reichsversammlung wegen der Türkengefahr einige Abgesandte zu schicken. Gernsheim, 1461 Juni 24.

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 1092 fol. 15^b.
Gedr.: Senckenberg, selecta iuris et historiarum IV, 369.*

25

Dietherus d. g. electus et confirmatus Mogunt. 2c. ac princeps elector venerabilibus et egregiis rectori, doctoribus ac magistris alme universitatis studii Liptzensis in Christo nobis dilectis.

Amicabili salutatione premissa, venerabiles ac egregii in Christo nobis dilecti. In 30 rebus magnis consiliis magnis opus est. Non hesitamus, quin desiderium sanctissimi domini nostri super exercitu contra Thurcum et barbaros instruendo cum quibusdam impositionibus et rebus aliis vobis insinuatam sit, propter quam rem ac certa gravamina nationi nostre per sedem apostolicam illata retroactis diebus diversi conventus seu diete in curia imperiali et alibi ac novissime circa dominicam trinitatis^a) proxime preteritam in civitate 35 nostra Maguntinensi celebrati existunt. Et iam per oratores qui in predicto conventu Maguntinensi comparuerunt concorditer receptum est, quod certi reges ac omnes et singuli principes, coelectores nostri et nos, nec non ceteri prelati et principes tam eccle-